

CAP. XII.

A C E T A.

ACETUM AROMATICUM.

- R. Summitatum Rorismarini officinalis siccata-
rum,
Foliorum Salviæ officinalis siccatorum, utri-
usque uncias quatuor,
Florum Lavandulæ Spicæ siccatorum uncias
duas,
Germinum florum Caryophylli aromatici con-
tusorum drachmas duas,
Acidi Acetosi destillati libras octo.

MACERA per dies septem, et liquorem expres-
sum per chartam cola.

ACIDUM ACETOSUM CAMPHORATUM.

- R. Acidi Acetosi fortioris uncias sex,
Camphoræ unciam dimidiam.

TERE Camphoram cum pauxillo alcoholis in pulverem; quem Acido immitte, et solve.

ACETUM SCILLÆ MARITIMÆ.

R. Radicis Scillæ maritimæ siccatae uncias duas,
Acidi Acetosi destillati libras duas cum semisse,
Alcoholis uncias tres.

MACERA Scillam cum Acido per dies septem;
dein exprime liquorem, cui adde Alcohol; et,
cum faeces subsederint, liquorem effunde.